

operatio. At hac operatione exclusa non manet nisi prima; quam sane operationem vult qui quaerit, quid sit quod esse certo credit, vel propter quod ita se habeat quod ita se habere minime dubitat. Prima ergo intellectus operatio est mysteriorum intelligentia.

Attamen ita prima est ut tamen tempore prima non sit. Nam mysteriorum intelligentiam antecedit assensus fidei, qui, cum in verum sit, secunda quaedam operatio est. Et ipsum assensum fidei antecedit intelligentia quaedam catechetica, qua perspicitur quid dicere velint fidei articuli.

Praeterea, ita mysteriorum intelligentia est prima intellectus operatio, ut tamen maxima intimitate cum aliis ~~et~~ et secundis operationibus connectatur. Quamvis enim ipsa intellig~~entia~~gentia secundum se non sit nisi prima operatio, tamen mysteriorum est intelligentia quae per antecedentem fidei assensum qua vera innotuerunt; et quam primum quaedam mysteria quodammodo intelliguntur, statim per secundam operationem quaeritur, utrum id quod <sup>intelligendo perspectum</sup> ita intellectum sit etiam verum sit.

Nihilominus, quamvis maxima quadam intimitate connectatur mysteriorum intelligentia tum cum vero revelato et antecedente tum cum vero consequente et theologico, remanet hanc intelligentiam secundum se esse actum quemdam determinatum. Et ideo nunc proprietates eius sunt enumerandae ut, subsequente sectione tertia, de eius <sup>colligatione</sup> ~~connectione~~ cum vero agatur.

Primo, ergo, obiectum movens ad intelligentiam theologiam est, non quidditas in materia corporali existens, sed quidditas Dei in quo sunt mysteria abscondita. Quae quidem quidditas nos movet, non immediate uti in visione beatifica, sed mediate per verum divinitus revelatum et fide susceptum.

Deinde, ipsa intelligentia theologica est imperfecta. Est enim actus finitus per speciem finitam limitatus. Sed actus

9

finitus nullo modo proportionatur ad Deum infinite perfectum *perfecta*  
intelligendum. Et ideo, cum obiectum intelligentiae theologicae sit  
mysterium quoddam in Deo absconditum, fieri non potest ut  
hac in vita <sup>et</sup> citra visionem beatam ~~per~~ perfecta sit intelli-  
gentia theologica.

Tertio, haec imperfecta intelligentia est analogica.  
Nam finitus intelligendi actus directe respicit aliquid  
finitum; et quod directe finitum respicit, nisi per viam  
analogicam ad infinitum non extenditur.

Quarto, haec imperfecta et analogica intelligentia  
est obscura. Nam eatenus valet via analogica quatenus  
similitudo quaedam existit inter creatorem et creaturam.  
Sed "inter creator<sup>em</sup> et creaturam non potest tanta similitudo  
notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda" (DB 432).  
Et ideo, sicut ex similitudine oritur quoddam lumen, ita ex  
maiori dissimilitudine oriuntur tenebrae maiores.

~~Quinto, haec imperfecta, analogica, et obscura  
intelligentia est synthetica. Eiusmodi enim est intellect-~~

Quinto, haec imperfecta, analogica, et obscura  
intelligentia theologica decursu temporum augetur. Eiusmodi  
enim est intellectus humanus ut ad actus perfectiores per  
actus intermedios pedetentim proficiat. Et sicut in caeteris,  
ita etiam in theologis, gratia naturam non tollit sed  
perficit, uti ex ipsa historia theologicae patet. Qua de causa,  
dicendum est intelligentiam theologiam temporum decursu augeri.

Sexto, haec imperfecta, analogica, obscura, atque  
pedetentim evolvens intelligentia etiam est synthetica.  
Nam eiusmodi est intellectus humanus ut non solum singillatim  
de rebus quaerit sed etiam, singulis intellectis, ulterius  
quaerit quemadmodum inter se comparentur. Quare, post

diu, accurate, exacte considerantur tum in se ipsis tum in iis quae ex ipsis consequuntur. Et ideo erronee concluditur quod, nisi ad intelligentiam mysteriorum de facto a singulis pervenitur, tempus teritur.

Decimo, utrum vero existat intelligentia theologica, imperfecta, analogica, obscura, pedetentim evolvens, synthetica, atque fructuosissima, decernit summa sua auctoritate conc.

Vaticanum:

"Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie, et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit analogia tum e mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium eius obiectum constituunt" (DB 1796).

"Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia...." (DB 1800).

Quibus perpensis, nihil aliud nos dixisse <sup>Videmus</sup> ~~percepit~~ quam id ipsum quod concilium Vaticanum "salutarum Christi doctrinam" (DB 1781) reputavit.

c-8

D